

prudens erga Deos hominesque sese, prout decet, gerat; cum qui cuique, quod suum est, tribuit, sit etiam iustus, ac fortis, prudentis enim est persequi aut fugere, quae sunt fugienda aut persequenda; cum denique qui recte beneque agit, sit felix: sequitur omnino, virtutem tantum reddere nos beatos, naturamque, ne libidinibus cupiditatibusque habendas semper laxemus, prohibere; aliudque esse natura iustum, quam quod placet fortiori. Recte omnino beneque Socrates Calliclis refutat opinionem, cupiditatesque nostras frenare naturam iubere docet, quo ipso fundamenta morum doctrinae inciduntur. Quod autem attinet ad ius naturae, in eundem incidit errorem, quem sero demum nostrae aetatis philosophi exuerunt, quoque officia, quae dicuntur perfecta, cum imperfectis confunduntur. Consentaneum quidem esse rationi, ut rem quamque pro sua tractemus natura, itaque versemur circa res singulas, ut ipsarum postulat natura, e Platonis sequitur argumentis, atque hoc est fere idem, quod recentiores quidam, Britanni maxime, omni morum doctrinae fundamenti instar substraerunt, veritatem rerum in agendo esse sequendam, docentes; at, esse propterea, ad quae cogere et cogi iure queamus, hinc non appareat, nec fons etiam huius coactionis aperitur. Nos itaque ad suum cuique tribendum neminemque laedendum obligari imperfekte, ut iuris naturae loquuntur doctores, demonstrat quidem Plato; esse vero officia etiam perfecta, posseque nos ad haec praestanda ab aliis cogi, non euincit. In definienda virtutis natura a Wolfio, perfectionem esse eam existimante, haud multum distat, eadem dicturus, si confusas ordinis, rectitudinis, ornatus, notiones magis evolvisset. Haec si ita sese habent, dicendi artem haud magni esse pretii efficitur; quod enim a Polo ac Callicle